



Florete æternùm, Rosa ceu viget, unus & idem
Sic quoque sit vobis, non sine honore, vigor.

M. Nicolaus Amelungius Pastor Thannensis.

VI.

Prospera lux oritur, benè qua iunguntur in unum
Constanti nexu corpora bina thorum.

Nam moderante DEO thalami secreta subire

AMLVNGVS Mystes clarus ab arte cupit.

Auspiciis parili ratione *ROSINA* benignis

AMLVNGI in thalamos Sponsa venire parat.

Sunt animi egregiis ornati dotibus ambo,

Ipsorumq; faces carmina lata decent.

Sponsus enim teneris artes sectatus ab annis,

Pertulit in studiis omne laboris onus.

Ardua Parnassi conscendit culmina montis,

Castalii & fontis largius hausit aquas:

Hinc ipsi ingentes condendo in carmine vires,

Ante alios meritò docta Thalia dedit.

Inde Magisterii titulum modò nactus honestum,

E studiis iamiam premia magna capit.

Ad patriam à studiis ascitus ritè docendam,

Cum laude officio fungitur ille suo.

Concessas meritò miratur Patria dotes,

Dum pandit verbi dogmata pura sacri.

Ipsius in vita virtutum exempla relucet,

Dum vigili studio, quod docet, ipse facit.

Quis satis at Sponsa referet præconia laudum?

Quas modo cum paucis obtinet illa pares.

Omnia nomen habet: Nam Sponsa *ROSINA* vocatur,

Quod verè vires obtinet illa *ROSAE*.

B

Felix